



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

22. Dies Januarii. Deo seipsum debet homo, eique reddendus est, ut
beatus fit, à quo accepit ut sit. August. Epist. 45.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

22. DIES JANUARII.

Deo scipsum debet homo , eique red-
dendus est, ut beatus sit, à quo accepit
ut sit. *August. Epist. 45.*

*Media ad I.
finem.*

HAc tenus mihi cura fuit Fi-
nem tuum , ut eum cognosceres, digito ostendere, post-
hac labor meus erit , ad eun-
dem , ut eò pertingas, manuducere. Pondera , quia
non parvi sunt ponderis , verba Augustini : (a) *A*
principio ad finem perveniri non potest , nisi per aliquod
medium: Ergo ut totum aliquid sit, principio, & medio,
& fine constat. Convici , te à Deo ut principio eges-
siā, ad Deum ut finem regredi : superest, ut jam de-
tegain, quibus ad eum pervenies viis, ac mediis. Non
aliud est medium , quo beatus esse possis, quam red-
dendo te ei , à quo accepisti esse. Hoc ut obtineas ,
necessē est vivere Deo, tibi, proximo , tempori, & æ-
ternitati. Est ars artium, posse rectè vivere, non fle-
ctendo ad sinistram per defectum , nec ad dextram
per excessum , sed ut melius incedas , per media ad
Deum, suggesta à Deo. Vivere , naturæ est, rectè vi-
vere, est artis , sed illius quam gratia inchoat , vittus
continuat, perseverantia consummat, salus compen-
sat. Hæc ars , tria complectitur instrumenta rectè
vivendi ; Rectè judicare, sincerè velle, perfectè exe-
qui.

II. Noveris ergo cur vivas : dein qua methodo

D 5

velis

(a) *Lib. i. muf. cap. 12.*

velis vivere, non ut libet, sed ut licet, & expedit: tandem agas, ut vita tua sit, non mendacium sine honore, sed artificium sine errore, cuius magistra sit Veritas, disciplina sanctitas, fructus felicitas. Primum, quibus praesidiis recte senties de rebus omnibus, sit ut judicando non hallucineris. Si Fides doceat, Ratio discat, Prudentia consulat, Scientia dirigat. Quomodo sincerè voles stimulante amore, solicitante desiderio, urgente proposito. Quæ ut perfectè agas, & constanter peragas, observanda sunt præcepta? Intentione præeunte, attentione comitante, devotione animante, constantia absolvente. Denud ad illud redeo, unde abii: ut scias: multa leges, plures audies, plurima considerabis. Paucis deest sciend curiositas, plurimis intelligenti studiositas. Sed & ut facilius scienda scias, erudit inspiratio suggesta experientia observans, exemplum prælucens. U velis, excitabit te Dei gloria: cui secessandæ es conditus: imperabit tibi Dei placitum, cui explendo es obligatus: invitabit te Dei beneficentia, cui vitam universam debes: suadecit facilitas, quam pati gratiæ subsidium, æqualem exemplum: alliciet utilitas, quam tota polliceretur æternitas: impetrabit te felicitas, ad quam votis omnibus, dum spiras, & spiras.

III. Ut agas recte: non audies naturæ genium, pravus est: non consules mundi indolem, malignus est: non credes diaboli suggestioni, mendax est. Deinde in omnibus quæ agis, finem respice. Dei voluntatem suspice, Christi exemplum inspice. Non differes dum opportunum est, non negliges dum inchoatum est, non sistes quoad expeditum est.

Ars vitæ unica numero , multiplex officio , necessaria singulis , apta omnibus , hæc pauca docet , tu illa disce , & observa . Si vita stadium est , sic currere , ut comprehendas . Si studium est , sic discere , ut sapias : si militia est , sic certare , ut vincas : si mercatus est , sic negotiari , ut quæstum facias : si theatrum est , sic personam agere , ut plausum referas : si peregrinatio est , sic ambulare , ut metam attingas : si exilium est , sic illud sustinere , ut patriam obtineas : si mare est , sic velificari , ut portum subeas ? si sementis est , sic serere in terris , ut possis metere in cælis : si diversorum est , sic versari , ut hospitem te cogites , si vinea est , sic laborare , ut mercedeim reportes . Ecce , quot artes , ars vitæ exigit . Ars una omnes . Hæc ars rectè vivendi eousque patet , quo usque vita porrigitur : cuius omne negocium , est virtutis officium . Vita porrò est , quidquid intellectu concipis , aut memoria retines , aut voluntate appetis , aut concupiscentia desideras , aut sensu percipis , aut ore loqueris , aut manu peragis . Artis illius initium , est primum rationis diluculū , quo si non auspicaris , vitæ primitiis frustraris . Progressus , est universus ætatis cursus , qui si alio dirigitur , vitæ usura prodigitur . Terminus est , supremus vitæ exitus , qui si arte ista non concluditur , spes vitæ eluditur , votum salutis fallitur . Ecce medium perveniendi per compendium ad finem , cui es creatus , rectè vivendi scientia .

* * *

* *